

Lib. XLV.

Tit. I.

De Verborum Obligatio-
nibus.

§. 1. *Stipulatio* est contractus conceptis verbis constans, quibus alter præsens interrogat, & alter itidem præsens, quod interrogatur, daturum se facturumve, quod interrogatus est, congruenter & continuò respondet. Ejus

§. 2. I. *Subjectum relativum* est stipulans, qui regulariter est *Interrogator*, hic *sibi* stipulatur, non extraneò, nisi stipulantis intersit, & nisi sit pia causa.

Si 1. *disjunctivè*, mihi aut alteri: & tota mihi tantum acquiritur; alteri tamen solvi potest.

2. *conjunctivè*, mihi & alteri: & dimidia mihi tantum acquiritur.

correlativum est Promissor, qui se, non alium, facturum promittat, nisi eum in potestate habeat, aut implicatum sit proprium factum.

Si dixerit se effecturum, ut alius faciat, ni fiat, tenetur ad interesse vel pœnam adjectam.

ex æquo tamen liberatur, si summam adhibuit diligentiam.

Uterque sit habilis, qui potest pacisci.

Non deportatus,

Non surdus, mutus,

nisi per servum stipuletur.

§. 3.